

XIII

MARIÆ PURIFICATIO ET CHRISTI
PRÆSENTATIO.

1º AN BEATA MARIA PURIFICARI DEBUPERIT OB
IMPURITATEM NATURALEM.

^{XVI}
⁶⁹
¹

Et postquam impleti sunt dies purgationis. (Luc II, 22.) — In lege veteri puerpera immunda erat, ob immunditatem tum naturalem, tum legalem et moralem, præsertim quia pariebat foetum, quem imbuiebat et concipiebat in peccato originali. Naturalem, quia puerperæ patiuntur fluxum sanguinis et menstruorum, item secundinarum aliarumque sordium, per multos dies. Causa est, quod infans in utero matris involvatur membrana, quæ secundæ a Plinio, vulgo secundinæ vocatur, uti docet Aristoteles, lib. II, *de Generat. anim.* cap. IV, et Galenus, lib. *de Format. fætus*. Membrana enim hæc triplicem habet usum: *Primo*, tegit, conservat et tuetur semen virile in utero matris ne diffluat, sed coaguletur in corpus infantis, quod deinde eadem membrana continet et fovet. *Secundo*, membrana hæc plena est venulis plenis sanguine, quo nutrit infantem sibi per umbi licum cohærentem, qui nexus naturaliter sponte sua solvit in partu, quo primum infans emititur; deinde membrana, quæ fuerat involucrum et tegmen infantis, sive secundæ ipsæ per partem eadem via ejiciuntur. *Tertio*, membrana hæc recipit excrements, quæ puer ex cibo quo alitur in utero matris, naturaliter emit-

tit. Hæc est naturalis impuritas puerperæ, ex qua sequitur legalis. Lex vetus enim, ob hasce sordes jubebat eam quasi impuram arceri templo, esseque quasi irregularem per quadraginta dies, donec quadragesimo die per ritum a lege præscriptum lustraretur et purificaretur, itaque pura templum ingredieretur.

Quæres an hæc impuritas fuerit, in B. Virgine pariente Christum, ut ab ea juxta legem purificari debuerit die quadragesimo. Affirmat B. Hyeronimus *epist. 22, ad Eustochium*, ubi loquens de Christo: « Novem mensibus, ait, in utero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, » uti cæteri infantes ex fluxu materni sanguinis cruenti egrediuntur, ideoque abluuntur. Idem asserit Abulensis, cap. XII, in *Levit. quest. II* et seq.; ac Erasmus hic.

Verum cœteri omnes constanter id negant.... (Sequitur hic, apud Cornel. a Lapide, ad locum citatum, satis longa dissertatio, in qua probare conatur auctor per citationes alias S. Augustini, S. Epiphani, S. Cypriani, præsertim per Toletum, ac etiam per rationes convenientiæ, B. Virginem « habuisse purissimum sanguinem, » « non habuisse menstrua » ne probabiliter quidem « secundinas ». (Vide loc. citat.)

2º EJUS PARTUS FUIT PURISSIMUS, SINE ULLO
SANGUINIS FLUXU.

(Vide supra. XVI. 69. 2).

3º MENSTRUA NON HABUIT.

(Vide supra XVI. 69. 2).

4^o AN HABUERIT SECUNDINAS.

(Vide ibidem).

5^o EX HUMILITATIS TAMEN STUDIO PURIFICARI VOLUIT.

(Vide ibidem, ad finem. 70. 1).

6^o PAUPERTATIS ERIT STUDIOSISSIMA.

XVI
71 *Ut darent hostiam..... par turturum aut duos pullos columbarum.* (Luc. II, 24.) — Eo quod pauperes essent, nam divites insuper dare debebant agnum in holocaustum. Licet enim tres reges magnam vim auri Christo obtulissent, tamen B. Virgo, paupertatis studiosa, ut ostenderet se spernere omnia terrena, ex illis pauca duntaxat quasi libando accepit, quae brevi consumpsit, ait Abulensis, *in cap. II Mat. quæst. XLVII;* aut si plura accepit, ea in pauperes distribuit, ait S. Bonaventura et Dionysius. Denique quia statu et conditione erat pauper, inter pauperes censeri voluit et pauperum munus offerre.

Vide dicta tam quoad litteram, quam quoad mores, Levit. XII. 6.

7^o QUÆ SUSCEPERIT SACRAMENTA?

XVI
72 *Par turturum aut duos pullos columbarum.* (Luc. II, 24.) — Tropologice : turtures et columbae, quas puerpera pro peccato, id est immunditia sive irregularitate legali, offerebat, significabant gemitum et

compunctionem poenitentis, quo experiantur peccata, præsertim accedente sacramento. Porro B. Virgo, sicut nullum omnino habuit peccatum, sic nullo sacramento ad illud expiandum indiguit ; suscepit tamen sacramentum baptismi, ut profiteretur religionem christianam, item confirmationem, Eucharistiam, forte etiam extremam unctionem. Ordinis non erat capax, quia femina. Matrimonium initum cum Joseph, sed illud in lege veteri non erat sacramentum. Peccata sua nunquam est confessa, nec absolutionem a sacerdote suscepit, quia nulla habuit.

Dices : Poterat B. Virgo metuere ne forte in oratione distractionem aliquam, aut in opere vel cogitatione negligentiam aliquam venialem commisisset ; ergo poterat illam confiteri ; quia, ut ait S. Gregorius, « bonarum mentium est agnoscere culpam ubi non est culpa. »

Respondeo : Hoc verum est in peccatoribus et statu lapso, non integro et innocentibus, qualis fuit B. Virgo. Quam, sicut angeli clare vident omnes suos actus eorumque defectus etiam minimos, ex perspicacitate sui intellectus ; ac similiter suos actus vidit Adam in statu innocentiae (hoc enim pertinet ad integratatem illius status et ad justitiam originalem) ; sic pariter suos actus omnes vidit et prævidit B. Virgo, quod scilicet essent purissimi et sanctissimi, sine omni defectu, etiam veniali, ideoque eos quasi peccata confiteri non poterat. Nec tamen idecirco se extollebat, sed magis humiliabat, sciens hoc esse donum Dei, non suum meritum.

Quare quod Sylvester in *Rosa aurea*, tit. III, cas. 53, de *quæst impertin.*, censem B. Virginem sacramentum poenitentiæ recepisse, solitamque venialia

sub conditione confiteri S. Joanni, plane est rejiciendum: præsertim quia absolutio impendi nequit super materiam incertam, sed ut ejus capax sit pœnitens, debet aliquod peccatum determinate confiteri, ait Vasquez, III part. disp. 419, cap. vii.

8º CUR MIRATA SIT SUPER HIS QUAE SIMEON
DICEBAT.

XVI
75
1 *Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* (Luc. ii. 33.) — Joseph et Maria, quæ, licet scirent Christum fore salvatorem Israelis, non tamen sciebant omnia quæ hic Spiritus sanctus per Simeonem et Annam de eo vaticinabatur, scilicet quod ipse foret lumen illuminans omnes gentes, quod foret in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, quod gladius animam Virginis esset pertransitus, etc., et etiamsi hæc scivisset, mirabatur tamen eadem a Simeone et Anna per Spiritum sanctum tanto ardore et spiritu prædicari et celebrari. Denique rerum et mysteriorum quæ videbat et audiebat, magnitudo, ei consideranti admirationem ciebat. Nam, ut ait anonymous, in *Catena græcorum*: « Transcedentium rerum notitia quoties in memoriā venerit, toties renovat in mente miraculum. »

9º QUID EX SIMEONE AUDIERIT A SE SPECTANS

XVI
75
2 *Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus.* (Luc. ii. 25.) — Potius quam ad Joseph, tum quia ipsa sola vera et naturalis erat mater Jesu, Joseph autem ejus erat pater tantum per denominatio-

tionem; tum quia Joseph videtur mortuus ante annum 30 Christi, quo hæc contigerunt: quare illa in se experta est sentitque sola B. Maria. Illi ergo soli hic Simeon propheticō spiritu prædictit tam prospéra quam adversa, ipsi et Christo obvientura, ut in prosperis non extollatur, nec in adversis cadat anima, sed contra illa per modestiam, contra hæc per patientiam et fortitudinem pectus suum præmuniat et obarmet.

10º VIRGO EST ET NON EST, DIVERSO RESPECTU.

XVI
76
2 *Ecce positus est hic in ruinam, etc..., et in signum cui contradicetur.* (Luc. ii. 34.) — Huic signo Christi non tantum Judæi et gentes lingua, sed et mali Christiani vita impia contradicunt. Ita Origenes, Jan-senius; favet S. Basilius, in *Isai.*, cap. vii, ad illa: *Ecce virgo concipiet*, dicens: « Signum est demonstratio rei cujuspam prodigiosæ, demutatae et a communi consuetudine hominum omnino alienæ. » Talis autem fuit vita Emmanuelis, id est Verbi incarnati, prodigiosa scilicet et portentosa; græcum enim σηνεῖ significat signum, ostentum, prodigium, quod est præter communem hominum consuetudinem.

Favet et Tertulianus, lib. *de Carne Christi*, cap. xxiii, qui censem hic alludi ad illud. *Isai.* vii: *Proptere-dabit dominus vobis signum; ecce virgo concipiet et pariet filium.* « Agnoscamus ergo signum contradicibile inquit, conceptum et partum Virginis Mariæ, de quo academicci isti: peperit, et non peperit; virgo et non virgo; » quibus contradictionibus ipse respondet: « peperit, quæ ex sua carne; et non peperit, quæ

non ex viri semine. Et Virgo quantum a viro, non Virgo quantum a partu; qui apererit, quod non solet esse virginum, sed mulierum corruptarum, licet ipsa per miraculum incorrupta conceperit, et manens Virgo pepererit.

41º QUIS GLADI UIMAM EJUS PERTRANSIERIT.

XVI

77

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. (Luc. II, 35.) — Quæres, quisnam hic gladius?

Primo, nonnulli per gladium accipiunt dubitationem in fide. Censem enim B. Virginem, cum videret Christum tam atrocia a Judæis violenter pati et mori in cruce, dubitasse de ejus resurrectione, an ipse esset resurrecturus uti prædixerat: hæc enim dubitatio instar gladii dissecabat animam virginis, eamque dividebat a Christo Christique fide. Ita Origines hic, hom. 47; Titus et Theophylactus; Amphilochius, hom. de occurso Domini; auctor *quæst. novi et veteris testam.* apud S. Augustinum, *quæst. lxxiii.* Verum hic est error: hoc enim sentire indignum est Deipara, estque contra communem Ecclesiæ sensum. Sic enim B. Virgo peccasset incredulitate. Unde nonnulli excusant auctores jam citatos, quod per dubitationem intellexerint admirationem et variam cogitationum fluctuationem, considerationem et examinationem.

Secundo, S. Eucherius Lugdunensis, homil. in *Dominic.* post octavam nativit., per gladium accipit gladium spiritus, qui est verbum Dei, puta spiritum prophetæ, q. d. Gladius spiritus prophetici transbit animam tuam, o Maria, ut tibi revelet secreta sanctæ

Scripturæ et occultas hominum cogitationes, uti tibi revelavit in Cana Galileæ cogitationes Christi, cum ministris dixisti: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Nisi, enim, scivisses Christum eis imperaturum ut aquam haurirent, quam ipse in vinum convertere, nunquam id ipsum dixisses. Sic apostolus de eodem Spiritu ait, *Hebræ. iv. 12:* *Vivus est sermo Dei et efficacis, et penetrabilior omni gladio ancipiti,* etc. Unde S. Ambrosius per gladium hic accipit prudentiam virginis, non ignaram mysterii cœlestis.

Verum hic gladius symbolicus est et mysticus, non litteralis, æque ac ille S. Hilarii *in ps. cxviii.* littera *gimel*, qui per gladium accipit terrorem judicii extremiti, quod omnes subituri sunt, etiam B. Virgo.

Tertio, nonnulli olim, teste Amphilochio loco citato, et hisce verbis opinati sunt B. Virginem vere per gladium martyris coronatam obiisse; sed hoc est contra omnem historiarum fidem.

Quarto, ergo et genuine, *gladius*, hic est tormentorum Christo illatorum, aut potius contradictionis, cuius paulo ante meminit; nam contradictionis linguarum in scriptura vocatur *gladius*, ut *ps. 56, 5:* *Fili hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Et *ps. 63, 4:* *Acuerunt ut gladium linguas suas.* Et *ps. 104, 18:* *Ferrum pertransiit animam ejus.* Duplex ergo hic est gladius:

Primus, linguae et contradictionis; audiens ergo B. Virgo probra, calumnias et blasphemias a Judæis et scribis jactas in Christum etiam crucifixum, mire iis cruciabatur, perinde ac si gladius animam ejus transverberasset.

Secundus gladius fuit ferri, puta clavorum cæterorumque tormentorum, qui non tantum Christi corpus

et animam, sed et Virginis animam pertransiit ; græce διελύσεται, id est penetrabit. Sieut cum quis uno gladio duos sibi vicinos confodit uno ictu, ita ut primum occidat, secundum penetrēt et vulneret ; ita et hic gladius Judeorum occidit Christum, Virginem autem matrem intime penetravit, vulneravit et cruciavit. Ita S. Augustinus, epist. 59, *ad Paulinum* ; Sophronius, homil. *de Assumptione* ; Franciscus Lucas, Jansenius, Toletus, Barradius et alii.

**12º AN STATIM POST PURIFICATIONEM E JERUSALEM IN
ÆGYPTUM FUGERIT, AN PRIUS NAZARETH REVERSA SIT.**

XVI
81
1 *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæa, in civitatem suam Nazareth.* (Luc. ii. 40) — Statim ergo reversi sunt Nazareth, indeque, metu Herodis infanticidæ, cum puerō Jesu fugerunt in Ægyptum. Hoc enim infanticidium paulo post purificationem virginis contigit circa pascha, ait Enthymius, Toletus et alii : licet S. Augustinus, lib. II *de Consensu evang.* cap. v, Jansenius et Franciscus Lucas censeant eos ex Jerusalem immediate fugisse in Ægyptum, indeque post novem annos recessentes, reversos esse in urbem suam Nazareth, ut ait hic Lucas. Vide dicta Mat. ii. 43.

Porro, ante fugam redierunt in Nazareth, tum quia ibi habitabant, ut de domo sua disponerent ; tum ut et bonis quæ ibi possidebant viaticum et reliqua necessaria ad iter longum in Ægyptum pararent. Tempus vero ad fugam abunde suppetebat, quia a die secunda februarii, quo facta est purificatio, usque ad pascha, quo factum dicitur infanticidium, intercedunt circiter duo menses.

XIV

MARIÆ IN NAZARETH VITA.

**1º EX ÆGYPTO REVERSA UNA CUM JOSEPHO, TEMPLUM
ADIIT, FILIUM SUUM DUCENS.**

XVI
81
2

Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemní paschæ. (Luc. ii. 41.) — B. Virgo, postquam rediit ex Ægypto, licet lege non teneretur, tamen ex devotione junxit se marito, secumque duxit filium ad templum, ut doceret matres filios a teneris ducere ad templum, Deumque colere. Ita Beda, Maldonatus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Nec timuit Archelaum, Herodis infanticidæ filium, tum quia prudenter existimabat in tanto judæorum omnium concursu posse latere ad paucos dies, donec rediret in Nazareth ; tum quia sciebat se Deo, pro cuius honore periculum hoc subibat, esse cordi et curæ. Ita S. Augustinus, lib. II *de Consensu evang.*, cap. x; idque insinuat Lucas. vers. 42 et 43.

Nonnulli tamen probabiliter putant Jesum non ascendisse Hierosolymam, nisi anno ætatis duodecimo, illo enim anno Archelaus actus est in exilium ab Augusto Cæsare : Unde nil ab eo Jesus timere poterat ; ut dixi v. 4.

2º QUID ILLO AMISSO METUERET SOLICITA.

Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. (Luc. ii. 45.) — Quia Jesus a nullo cognato-

XV
82
1